



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De reformatione memoriæ. Cap. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

De reformatione memoriae.

CAP. VII.

IN I T I V M reformationis memoriae est, mentem ab euagatione sua ad memoriam Dei cum labore reducere, orando, legendo, recollendo, vel saltem superficialiter cogitando. Profectus memoriae est, bonis meditationibus & orationibus sine importuna euagatione posse intentum esse: & in latitudine cordis sui secum deambulare. Perfectio eius est, ita in Deum esse absorptum per mentis excessum, ut etiam sui ipsius & omnium quae sunt obliuiscatur homo, & in solo Deo absque omni strepitu volubiliū cogitationum & imaginationum suauiter quiescat. Isti sunt fines humanae perfectionis, & profectus, & initia, ad quae omne spirituale studium debet ordinari. Si quis ista via non ambulat, est sicut qui nescit quò vadit, vagus & errabundus ad incertum finem tendens. Initia cuiuslibet istarum trium potentiarum sunt omnibus communia, qui sunt in statu salutis, nec sine eis est salus. Perfectio cuiuslibet harum trium est solummodo perfectorum, quando sunt in summa perfectione, id est, in raptu contemplationis. Medius status earum est perfectè proficientium, & singulariter respicit statum probatorum religiosorum, qui inter statum bonorum secularium & statum perfectorum sanctorum, quasi medium adhuc tenent iter. Non quia semper in eodem statu permanere valeant; quod etiam sanctissimis vix est possibile: sed quia media via illorum trium statuum sic distinguitur ab inchoatione & perfectione eorum, de quorum profectibus aliquanto latius est considerandum. Et primò de reformatione

Perfectio-
nis huma-
nae fines.

L tione

162 S. BONAVENTURAE
tione voluntatis: quia virtus & vitium & me-
ritum dependēt ab ea, & affectiones, quæ tam
ad vitia quàm ad virtutes inclinant: postea de
memoria, ratione, & intellectu. Volūtas est in
anima quasi imperans, ratio verò quasi docēs,
memoria quasi ministrans vtrique, illi quid
iubeat, isti vnde doceat.

*Quomodo naturales vires animæ & mo-
tus affectionum deformati sunt.*

CAP. VIII.

NON ergo breviter intelligere oportet,
quomodo naturales vires animæ, & mo-
tus affectionum in vitia deformati sunt, & ad
quid dati sunt homini: postea aliqua remedia
singulorum vitiorum subiungenda sunt, &
virtutum ordo. Voluntas nulli debuit esse sub-
iecta nisi Deo: nec tamē hoc coactē, sed spon-
te; ut possit ei ad meritum reputari, & ita pote-
rat peccare & non peccare: non ad hoc ut pec-
caret cum posset, sed ad hoc, ut si non peccaret
cum posset, ex hoc laudabilis fieret, & digna
præmio apud Deum: vel si sponte peccaret, es-
set digna confusione & suppliciis: cum sciret
quod nō deberet peccare, & posset vitare. Item
cum facta esset anima quod capax esset sum-
mæ beatitudinis, in qua haberet summam glo-
riam & summam delectationem in Deo, qui
est summa & vera beatitudo, datus fuit animæ
duplex appetitus naturaliter ad hoc, ut ista de-
sideraret & studeret obtinere: & cum obtinisset,
tanto iucundius possideret, quanto ar-
dentiùs concupisceret. Datus fuit ei appe-
titus gloriæ talis, ut nulla sufficeret ei præ-
ter summam gloriam: & appetitus delecta-
tionis talis, ut nō satiaret eam aliqua nisi sum-
ma

Appetitus
concupi-
scibilis cur
homini
datus.